

dam immunitatis consuetudine, tam subsidium vexillorum bonis Regnicolarum oblatum, quam etiam labores dierum ad finitima loca dare et praestare consuetos hactenus recusarunt, instar aliorum nobilium Regni istius ad pacatiora usque, ut praemissum est, tempora connumerentur, et labores decretos per Regnicolas ad Confinia pro Patriae consuetudine statulis temporibus praestent.

Quia autem satis superque constat, in hoc quoque Regno Sa. Maiestatis Caes. atque Regiae similiter ut in Regno Hungariae superioribus hisce annis plurimas domos et Possessiones ac loca etiam antea Colonis numero frequenti habitata, igne et ferro hostis vastata atque desolata penitus fuisse, Colonosque in plerisque locis diminutos partim, partim vero auctos esse, iuxta Maiestatis Suae Sa. Voluntatem, ut non connumeratio totius Regni fiat, obsequenter consentiunt, Datturosque se operam fidelem, pollucione (?) metu novae connumerationis Coloni ipsorum, maxime in finibus atque vicino aliarum Provinciarum degentes, perteriti ad tempus migrare a digno praetextu exquisito colore permittant.

Item Sa. Maiestas Caesarea, ubi Status et Ordines dictorum Regnorum elementer hortatur, ut considerata pernecessaria finitimorum Oppidorum, Castrorum, Civitatumque fortificatione ac restauratione, juxta partem ipsorum Dietae Articulos, promissum ac decusum numerum laboratorum de bonis suis dare explereque, eosque, qui hactenus dare eiusmodi laboratores recusassent, sine ulla mora ad praestandum, eo quo loci necessitas postulaverit, per Banos cogi et compelli debeant et teneantur.

Quamvis praefati Status et Ordines fideles Suae Maiestatis non ignorent, huiusmodi finitima Oppida, Castra, Civitatesque in Confiniis extremis dictorum Regnorum posita esse copiosissima, quae omnia, si possibile esset, restaurari et fortificari operae precium esset; neque ipsi Status et Ordines suam denebunt pro posse operam in restauratione Oppidorum, Arcium finitimarum, unde extremum illis sequeretur periculum: Decreverunt itaque, non parcendo extremae inopiae miserorum Colonorum suorum, ut Oppidum Kaproncza, in maximo periculo positum, ex Comitatu Varasdinensi per duos Processus Judlium, Videlicet Christophori Palfy et Georgii Madarasi, Item ex Processu Joannis Ruskoczy Judlium Comitatus Crisiensis, per Colonos cunctorum Dominorum et Nobilium, Statuumque et Ordinum in praescriptis tribus Processibus bona habentium, fortificetur et restauretur, ita, ut a singulis portis seu fumis laboratores pedestres sex, robora quercina cubitorum duodecim quatuor, item a singulis duabus portis seu fumis Virgultorum Currum bene oneratum unum, ad fortificationem praefati Oppidi seu Civitatis Kapronczensis praestare debeant.

Item Processus Jo. Puhakocy et Christophori Bedekovych, Dominorum Judlium Comitatus Varasdiensis, exceptis bonis Castri Chazarvar, quae ad restaurationem fortalicii finitimi Urboucz, quasi totaliter diruti, deputata sunt, una cum Processu Pauli Flyok, Judlium Comitatus Crisiensis, deputantur ad restaurationem Ivanych finitimi.

Item Processus Mathiae Raskay et Thomae Mikulych, Dominorum Judlium Comitatus Zagrabiensis, deputantur similiter ad restaurationem Ivanych, ad praestandum tam laboratores pedestres, quam robora quercina et Currus Virgultorum, modo et ordine omnino superius declarato et conscripto.

Qui praescripti conductores roborum, ad municionem Ivanych deputati, Asseres in pertinentiis Bosyako coemptos ad praefatum Ivanych deduci et devehiri debeant.